

Quinta etas mundi

Hermes



Apuleius

Hermes egyptius qui a nostris dicitur Mercurius philosophus: platonis olim discipulus hoc tempore clarus habetur. Qui et si homo fuit antiquissimus tamen et instructissimus in omni genere doctrine: Adeo ut ei multarum rerum et artium scientia trimegesto: hoc est ter maximo cognomen imponerent. Scripsitque libros multos ad cognitionem diuinarum rerum pertinentes: qui adhuc apud grecos extant. Qui inter cetera de verbo perfecto librum edidit et dixit ut patet. 8. de ciuitate dei. Deos gentilium fuisse homines mortuos.

Apuleius apher madaurensis platonis etiam discipulus hisdem temporibus claruit. Et ibidem libros multos edidit: in eo enim summe eruditioni precipua lingue copia et gratia coniuncta fuit. Scripsit enim libros de Asino aureo Metamorphosin quam grecanicam fabulam appellant. Libellos quatuor floridorum de deo socratis. Librum de mundo etc. Cuius hec fuit sententia. Nihil est deo similis quam vir animo perfecte bonus.



Plotinus philosophus

Plotinus philosophus platonis quoque discipulus et porphirii preceptor per hoc idem tempus floruit. Qui ad omnia virtutis ornamenta compositus: omnium etiam diuinarum dispositionum studio firmatus fuit: iustus: fortis: temperatus et prudens extitit. Qui prudentie ratione se superare posse crederet fortune impetus. Itaque locum quietis sedis elegit ut ab omni conuersationis humane strepitu seperatus se fortune inuidia liberaret. Nulla quoque illum desideria ceperunt. Et propterea librum de virtutibus pulcherrimum edidit: dixitque animam rationalem: quam in celestibus habitare sedibus non dubitabat: non habere super naturam nisi deum: qui sicut Sol lunam illuminat ita et deus animam illustrat.



Diogenes

Diogenes magnus philosophus fuit (teste diocle) Sinopeus Icesii mensarii filius. Is patriam relinquens Athenas venit ibi Antistenem comperit: qui apprime omnes voluptates a se abdicauerat. Pallium primum duplex habuit propter frigus et peram in qua cibos ferebat. Cum scripsisset cuidam ut sibi cellam pararet: faciente id illo tardius: dolium pro domo habuit. Tempore frigoris os dolii ad meridiem vertebat: Estate ad septentrionem: estate in feruida arena se volutabat: Hieme cooptas niue statuas amplectabatur. Idem cum vidisset puerum concaua manu bibentem: abiicit vile vas quod habebat dicens: puer me uilitate superauit. Dicebat omnia esse deorum: et sapientes deorum amicos: huic ad solem sedenti cum diceret Alexander. Pete quid vis: ait noli mihi umbram facere: Et fama fuit alexandrum dixisse se velle esse Diogenem nisi esset Alexander ferunt quidem dialogos illum fecisse et tragedias septem et alia pauca: cuius sententia extitit. Si quis bonum cum amore dederit tibi consilium: presta illi eum amore obedientiam. Obijt deinde temporibus ptolomei philadelphia.



Philippus rex macedonum

Philippus proterus regis filius vigesimustercius Macedoniae rex. regnavit annis. 27. Vir utique bellator qui sua virtute Armenie bitimie Tracieque ac Thessalie regna simul obtinuit. Fuit autem blandus alloquio: malens amari quam timeri sed et moribus grauis: vini nimis cupidus: sed ebrietate digesta in suis actibus moderatus. Cumque pro imperii sui finibus tuendis procul exisset Mectanabo olim egypti rex in mathematica peritissimus qui ad eum timore regis perfarum confugerat: videns olimpiadem philippi coniugem pulcherrimam: ea arte magica deludens compressit qua nocte eum mater olimpias concepit visa pro quiete est cum ingenti serpente volutari que ex eo concipiens. post reditum philippi alexandrum peperit filium. Quem philippus rex (licet mater eius olimpias confessa viro suo philippo fuerat alexandrum non ex eo sed ex serpente ingentis magnitudinis concepisse) veluti tamen filium educauit charissimum. Nato autem alexandro aristoteli scripsit. S. filium mihi genitum scito quo deus gratias ago non tam pro inde quam natus sit quam pro eo quam nasci contigit temporibus vite tue: Spero ut abs te eruditus dignus fiat: Quem postea aristoteles disciplinatum assumpsit et pro quique num sub eo philosopho creuit: qui postea Bucephalum equum indomitum mansuetum fecit et intrepidus equitauit. Quem cum philippus conspexisset dixit se ex deorum responsis cognoscere quam post eum regnaturus esset. Unde et currum regium et equos cum summa auri ei dedit: qui contra reges Peloponensium castra mouit: de quo victoria coronam cum gaudio patris reportauit. Accepto deinde imperio regem se terrarum omnium ac mundi appellari iussit.

